DISSERTATIO JURIDICA,

DE

COELIBATU MILITUM,

QUAM

IN ILLUSTRI ACADEMIA MARBURGENSI,

PRÆSIDE

JOHAN. WILHELMO Waldtſchmiedt/

V. J. D. PROFESSORE JURIS ET PHILOS. PRACTICÆ ORDINARIO,

PUBLICÆ VENTILATIONI,

AD DIEM XI. DECEMBR. ANN. MDCCXVII.

SUBMITTET,

JOHANN. JACOBUS STUCKRADT,

ROTENBURG. HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

Typis PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. - Typogr.

Digitized by Google

DISSERTATIONIS
DE
COELIBATU MILITUM
PRÆLIMINARIA.

In ingreſſu ſupplentur ea, quæ priori Diſſert. de Cœlibatu militiæ Rom. *dicta.*

INter alia ſaluberrima inſtituta, quibus Romani olim ad Diſciplinam Militarem conſervandam, imò Rempublicam ipſam tuendam, augendamque uſi, non ultimum illud fuiſſe, quo *Militibus* ſuis *cœlibatum* injunxerunt, *& mulieres à caſtris arcendas eſſe*, edixerunt, alio tempore, pluribus jam demonſtratum eſt. (*a*) Prius quod attinet, militibus Romanis vitam cœlibem quondam imperatam fuiſſe (ut reliqua Legum & antiquitatum Romanarum monumenta, ibidem producta, nunc omittamus) memorabilis Dionis Caſſii locus (*b*) inprimis evincit, quando diſertè memorat, quòd Claudius Imperator, τοῖς ϛρατευομένοις, ἐπειδὴ γυναῖκας ἔκ γε τῶν νόμων ἔχειν, ὐκ ἐδύναντο, τὰ τῶν γεγαμηκότων δικαιώματα ἔδωκε. *Militibus quandoquidem ſecundùm leges uxores habere non poterant, jura maritorum dederit:* ex quo

(*a*) Prior illa Diſſertatio de *Cœlibatu Militum*, eôdem, quô hæc opella, præſidiô, anno 1713. in hac Academia prodiit.

(*b*) *Hiſt. Rom. lib. LX. ad ann. U. C. 797.*

loco luculenter apparet, prædicti Imperatoris tempore adhuc militibus uxores ducere haud licuiſſe, indeque ſpeciali privilegiô, ad evitandas cœlibatus pœnas, militibus jura maritorum conceſſa fuiſſe. Eandem verò prohibitionem non niſi ad tempora Septimii Severi Imp. perſtitiſſe, ab eoque, poſthabito veteris diſciplinæ rigore, militibus jus connubii conceſſum eſſe, Herodianus (c) his verbis teſtatur: τοῖς ϛρατιώταις πολλὰ συνηχώρησε, ἃ μὴ πρότερον εἶχον, καὶ γὰρ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε, γυναιξὶ δὲ συνοικεῖν (d) *militibus multa indulſit, quæ non habuerunt antea, nam permiſit iis aureis annulis (e) uti, & uxoribus cohabitare.* Et quanquam prioris prohibitionis veſtigia nonnulla in Legibus noſtris (f) etiamnum deprehendantur, ex eo tamen tempore legitimarum uxorum, militibus conjunctarum, frequentiſſima fit mentio: eoque præter *Tit Cod. de uxoribus militum*, aliosque textus, imprimis pertinet *L. 21. C. de Nuptiis*, in quâ Theodoſius & Valentinianus Impp. in hæc verba reſcribunt: *A caligato milite, usque ad Protectoris perſonam, ſine aliqua ſolennitate liberam, cum ingenuis duntaxat mulieribus, conjugii contrahendi permittimus facultatem.* Ex quâ Lege, non uno nomine memorabili, primò apparet, militibus jus connubii tunc temporis competiiſſe, modò ingenuis ſeſe jungerent uxori-

(c) *lib. III. Hiſt.*

(d) Conf. Gatakeri *Opera Critica pag. 75.* exinde verò, junctis locis in *priori Diſſert. Sect. 1. §. 6. lit. i.* adductis, Jac. Gothofredo facilè ſatisfieri poterit, quando *ad L. 3. C. Theod. de re milit.* memoratum Herodiani locum, de licentiá uxores in caſtra perducendi unicè intelligendum eſſe, exiſtimat.

(e) de uſu aureorum annulorum, & quomodo honor illos geſtandi paulatim vulgatus fuerit, poſt Lipſium *Elect. Lib. 2. Cap. 8.* vid. Kirchmann. *de Annulis Cap. 15. 16.*

(f) Eoque pertinet imprimis *L. 61. ff. de donat. J. V. & U.* conf. *prior Diſſert. ſect. 1. §. 5.*

uxoribus. (*g*) deindè à caligato (*h*) milite usquè ad Protectoris (*i*) perſonam connubia militaria, etiamſi absquè omni ſolen-

 nitate

(*g*) Qua ratione non ſervi ſolùm, ſed & liberti, imò & liberi eorum ſ. libertini, veteri Quiritum inſtituto à militiâ excluſi, ac non niſi urgente neceſſitate, quoties non perſonas, ſeu viros, ſed vires conſiderari oportuit, omnes armis tractandis apti admiſſi fuerint, quin & à Theodoſio ac Valentiniano in *L. 3. C. Theod. de libert. & eorum lib.* jus antiquum, quoad libertos reductum, quoad liberos eorum coanguſtatum ſit, in *priori Diſſert. pag. 5.* pluribus expoſitum eſt. add. *L. 16. C. Theod. de tyronibus.* ubi ſtipendium, quod ſervis extra ordinem ad militiam evocatis, quaſi pro ſudore & pulvere datum, *pulveraticum* vocatur. Prout etiam ſerius adhuc civibus Romanis cum peregrinis & libertis jus connubii non interceſſit, niſi ſpeciali privilegio id impretatum eſſet, vid. *Fragm. Ulp. Tit. XIII. §. 1.* Ita quoquè milites ingenui pares honeſtate perſonas ſibi jungere *d. L. 21. & 22.* etiamnum jubentur.

(*h*) Quos *d. L. 21. Milites Caligatos*, eos Juſtinianus *Nov. 74. Cap. 4.* viliores & obſcuriores vocat, eamque deſcriptionem verba Suetonii *in Aug. cap. 25. Calig. cap. 9. Vitellio. cap. 7.* Dion. Caſs. *Lib. 57.* confirmant. Et quanquam ϛρατιωτικὸν illud ὑπόδημα, à quo *Caligati* vocabantur, non gregariis ſolùm, ſed omnibus, qui in caſtris verſabantur, uſitatum quoddam calceamenti genus fuerit, indeque *Caligati* nomen, proprium militis epitheton ſit, vid. L. *9. ff. de cuſtod. & exhibit. reorum. L. 6. de re milit.* probabile tamen omninò eſt, eos qui gradum aliquem militiæ tenebant, ornatu quodam ὑποδημάτων iſtorum, à gregariis & manipularibus diſtinctos fuiſſe. Vid. Briſson. *ſelect. Antiquit. lib. 2. Cap. 5. junct. Commentat ad alleg. Suetonii loca:* undè ſimul apparebit, quam rectè Gloſsa *ad d. L. 21. Milites Caligatos* eos eſse dixerit, *qui ocreas ferreas gerunt.*

(*i*) Protectores indè nomen ſortitos eſse, quòd ipſis protegendi lateris Principis ſolicitudo, unà cum litorum & portuum cuſtodia, nec non curſus publici obſervantia, injuncta eſſet, *Tit. C. Theod. de domeſt. & Protect. ibiquè Gothofr. in paratitl. & comment.*

ſatis

nitate contracta eſſent, legitima tamen fuiſſe. Quænam verò iſtæ ſolennitates fuerint, & quomodo iſthæc diſpoſitio cum aliis Juris Romani textibus conveniat, paucis hîc disquirere juvabit: & quidem ſolennitatum iſtarum nomine, eas, quæ in nuptiis per confarreationem, vel coëmptionem & uſum contractis apud Romanos olim intercedebant, non intelligi, quilibet nobis vel tacentibus, facilè animadvertit (*k*) Deductionem in domum mariti, ad conſtituendum matrimonium, *LL. Rom.* haud requiri, *L. 21. C. de nuptiis, L. pen. ff. de Donat. J.V. & U. L. 11. C. de repud. L. 16. §. 1. d.h. quæ ut indignis. Nov. XXII. Cap. 3. & XXIV. Cap. 4.* aliique textus neminem dubitare ſinunt, (*l*) Benedictionem Sacerdotalem hîc intelligi non poſſe, complura, quæ evincant, in promptu ſunt. (*m*) Non aliud proindè ſupereſt, quàm ut dicamus, de iisdem ſolennitatibus in *d. L. 21.* ſermonem eſſe, quæ in ſequ. *L. 22. d. t. C. de Nupt.* memorantur, ubi quatuor

ſatìs declarant. Exindè verò ſimul apparet, dignitatem Protectoriam eximiam, ejusque honorem ab Officialibus, veteranis & ſimilibus, beneficii loco quæſitum fuiſſe. Meritò proindè ſubſiſtimus, an in verbis *d. L. 21. à milite Caligato usquè ad Protectoris perſonam &c.* hi, illis hactenus exæquati fuerint: quanquam enim Strauch. *in Lexic. partic. Juris*, voculam *usque* regulariter incluſivam eſſe, & terminum terminantem includere annotaverit, id ipſum tamen hîc non procedere per ſupra dicta, ut & *Nov. 74. Cap. 4. §. 3.* omninò affirmandum videtur. Conf. Brunn. *Commentar. ad d. L. 21.*

(*k.*) Conf. Illuſtr. Thomaſii *Diſſert. de uſu pract. Tit. Inſtitut. de nupt.*

(*l.*) Confer. Gothofred. *ad L. 6. C. Theod. de tyronibus.* Huberus *Digreſſ. pag. 460.* unde Schiltero diſſentienti *Exercit. ad ff. 36. th. 58.* facilè reſponderi poterit.

(*m.*) Conf. Gothofr. *ad L. 3. C. Theod. de nuptiis* Hochmannus *de benedict. nupt. Cap. 2. §. 17. ſeq.* ubi pluribus probârunt, Juſtiniani tempore benedictionem ſacerdotalem, ad nuptias conſtituendas nondum præciſè requiſitam fuiſſe.

Digitized by Google

tuor ſolemnium *νομίμων* fit mentio, & ab iiſdem Impp. ſancitum eſt, donationes ante nuptias, ut & dotis inſtrumenta ſeu tabulas, pompam item Nuptialem, aliamque Nuptiarum celebritatem omiſſam, matrimonium aliâs ritè contractum neque infirmare, neque exinde natis liberis jura legitimorum auferre. (*n*) Nihilò tamen ſecius *dictæ L. 21.* quàm maximè obſtare videtur, quòd dum in eâdem remiſſio iſtarum ſolennitatum nuptialium, à milite *caligato*, ad Protectoris perſonam uſque reſtringitur, idem *ſequ. L. 22. d. t.* de nuptiis omninò omnibus indiſtinctè affirmatur, modò in iiſdem honeſtas ſervetur, leges non intercedant, & præter conſenſum partium, amicorum interventus, atque præſentia accedat. Præterea & illud adverſari videtur, quòd ſecundùm *L. 6. C. Theod. de tyronibus*, iisdem ferè temporibus latam, ea demum militis uxor privilegio militari à cenſibus & capitatione immunis reddatur, quam ſibi non tantùm affectu copulaverit, ſed etiam priore lare derelicto, in domum ſuam traduxerit, atque adeò ad effectum legitimi connubii militaris, deductio in domum nominatim deſideretur. Iſtam vero *LL.* diverſitatem, hâc ratione conciliandam exiſtimamus: in nuptiis omninò omnibus ſolennitates ſupra enumeratæ *d. L. 22.* remittuntur; nuptiæ militum quoquè absquè ſolennitatibus iſtis, quin & amicorum fide ac præſentiâ legitimæ ſunt, eaque omnia per *d. L. 21.* haud requiruntur, quoties de voluntate ipſorum contrahentium tantum agitur, & de affectu coniugali aliundè conſtat: quodſi verò de explenda voluntate, aut legis, aut tertii alicujus, aut de publico præjudicio agatur, nudus affectus haud ſufficit, quem ementiri & fingere facilè quis poſſet; verùm his caſibus plena probatio, v. gr. per deductionem in domum, requiritur, ut in ſpecie

(*n*) Vid. Gothofr. *ad. d. L. 3.*

in ſpecie *d. L. 6. Cod. Theod. de tyronibus. L. 5. ff. de ritu nupt. L. 69. §. 3. de jure dot. L. 15. de condit & demonſtrat.* Viciſſim verò in *Nov. 74. Cap. 4.* ſancitum, ut maximis dignitatibus decorati, usquè ad illuſtres, non niſi dotalibus inſtrumentis conſcriptis, quin & Defenſore Eccleſiæ (*o*) adito, ac tribus vel quatuor Clericis teſtibus adhibitis, matrimonia legitima contrahant: Barbaris ſaltèm, ut & militibus caligatis, aliisque tenuioris fortunæ hominibus exceptis, qui ſolo affectu matrimonium contrahere poſſint.

Argumenti continuatio, quoad militiam hodiernam *ſeligitur.*

Hactenus de ipſo cœlibatu Militiæ Romanæ. Alteram prohibitionem quod attinet, quâ fœminis caſtra ingredi haud licuit, ea in Rep. Romanâ ſerius perſtitit, aut certe revocata fuit, prout de temporibus Conſtantini M. ſeu potius Conſtantii, aut Conſtantis, teſtatur *L. 10. C. de re milit.* (*p*) Hæc omnia in priori Diſſertatione fusiùs expoſita, partim repetere, partim ſupplere voluimus: & prout ibidem de LL. quibus hodienum connubia militaria reſtringuntur, nonnulla jam dicta fuère, ità præſenti ſpecimine Academico filum hocce continuaturi, an & quousque adhuc hodie, in Germania præſertim, militibus matrimonium contrahere interdictum ſit? ſub eodem rubro diſquirere, animum induximus.

Q.D.B.V.

(*o*.) Quales illâ ætate non Sacerdotes, ſed velut Eccleſiarum Advocatos fuiſſe, rectè obſervavit B. Dn. Pagenſtecher. *Irner. injur. vapul. eoit. 32.*

(*p*.) Vid. Gothofr. *ad L. 3. C. Theod. de re milit.* Reliqua loca, ex LL. & Antiquitatibus Rom. hûc pertinentia, collegit Harpprecht *Diſſ. 1. de teſtam. pagani in hoſtico, §. 42.*

Digitized by Google

Q. D. B. V.

THES. I.

GErmani olim quidem literarum luce, at Germanorum verò gloriâ nullô unquam tempore deſtituti fuêre. Ea certè jam inde ab antiquiſſimo ævo Majorum noſtrorum bellica virtus & infracta fortitudo fuit, quâ ad ſui venerationem amicos, hoſtes in admirationem, poſteros denique ſerosque nepotes in laudes ſuas, gloriæque deprædicationem converterunt. Nullam gentem, aut armorum ſtudio, aut facinorum bellicorum magnitudine, priſcos Germanos antecedere, ipſe rector Orbis Populus fateri neceſſum habuit (a) Ad hanc autem bellicæ virtutis gloriam, quâ ratione Germani aſcenderint, ſi quis expendere ſecum, atque inquirere velit, & Ducum prudentiæ, & militum virtuti, ipſisque proinde militaribus inſtitutis, inter cauſas ſecundas, hæc talia unicè adſcribenda eſſe, facilè deprehendet. Nihilo tamen ſecius, inſtituta militaria unius ejusdemque Gentis, ut in aliis, ità vel maximè intuitu argumenti, quod tractandum ſuſcepimus, pro temporum diverſitate, diverſiſſima fuêre.

Germani armorum gloria incluti, iisdem inſtitutis militaribus non ſemper uſi ſunt.

THES. II.

Antiquiſſima nimirum Germaniæ tempora, quod attinet, ſub illis connubiorum libertatem ob militiam ullâ ratione reſtrictam fuiſſe, nullibi memoriæ proditum eſt. Tacitus

Sub antiquiſſimo ævo connubia ob militiam ulla ratione reſtri-

(a) Inter complura alia teſtimonia, vid. Tacitus *de Moribus Germ. cap. 37. Hiſtor. Lib. IV. cap. 68.* Julius Cæſar *de Bello Gall. Lib. I. cap. 49 Lib. VI. cap. 21.*

ſta fuiſſe, non apparet. citus (*b*) equidem diſertè memorat: *arma ſumere non ante cuiquam moris fuiſſe, quàm civitas ſuffecturum probaverit; tum in ipſo concilio, vel patrem, vel propinquum, ſcutô frameàque juvenem ornâſſe, hanc apud illos togam, hunc primum juventæ honorem, ante domus partem viſos, mox Reipublicæ:* id ipſum verò vigeſimo circiter ætatis anno factum fuiſſe, ex Mela colligit Hachenbergius (*c*) Aſt ſera juvenum matrimonia hoc ævo fuiſſe, aliunde conſtat: (*d*) Et ſi vel maximè exinde colligere liceret, in exercitu Germanorum cœlibes fuiſſe complures; de cetero tamen Germanis militantibus cœlibatum impoſitum fuiſſe, tantùm abeſt, ut potius eosdem uxores non ſolùm, ſed & liberos ac matres ſecum in caſtra & prælia duxiſſe, in eoque certiſſimum fortitudinis incitamentum quæſiviſſe, quin & mulieres ipſas non parum detrimenti hoſtibus ſæpius intuliſſe, ab iisdem rerum Germanicarum Scriptoribus exteris edoceamur (*e*) Quod inſtitutum H. Conringius (*f*) ſolertiſſimus rerum noſtratium indagator non minus, quàm Prudentiæ Civilis Doctor eximiis laudibus extollere non dubitavit.

THES. III.

Quid medio ævo obtinuerit? Jam ad medium ævum ubi pergimus, in eoque Francorum populum (cujus auſpiciis Reſp. Germaniæ in unum civile corpus potiſſimùm coaluit) paulò penitius intuemur, eundem, majorum more, non aliud magìs quàm virtutem bellicam

(*b*) *De Moribus Germ. Cap. XIII.*

(*c*) *Germ. Antiqu. Diſſert. IV. §. 4.*

(*d*) Vid. Tacit. *d. l. Cap. XX.* Julius Cæſar *de B. G. Lib. IV. cap. 21.*

(*e*) Tacit. *d. l. cap. 7.* Jul. Cæſar. *d. l. Lib. VI. Cap. 19.* Florus *Hiſt. Rom. Lib. 3. cap. 3.*

(*f*) *In Diſſert. Hiſtorico Politica, de Rep. antiqua veterum Germ. §. 32.*

Digitized by Google

bellicam ſectatum fuiſſe, facilè deprehendimus (g) Et huic propoſito ſibi ſcopo, Franci omnia ſua inſtituta quàm maximè accomodârunt. Utebantur milite lectô (h) eôque ſelectô, & ingenuo, quod ultimum præter Capitularia modo allegata, inſignis Wipponis (i) locus, ſub rubro: *de diſpoſitione curiali*, inprimis confirmat: *de fidelitate* ait, *Regi facta*, *minus neceſſarium dicere puto*, *frequenti uſu teſte*, *quòd omnes Epiſcopi*, *Duces*, *& reliqui Principes*, *milites primi*, *milites gregarii*, *quin ingenui omnes*, *ſi alicujus momenti ſint*, *Regibus fidem faciant &c.* Et ut multa paucis comprehendamus, ſequentia verba Celeb. Dn. Wenckeri (*k*) Amici noſtri Honoratiſſimi, hûc conducemus: Bey Regierung der Fränckiſchen / und folgenden Teutſchen Königen und Kayſer ſeynd die Kriege nicht wie heut zu tag mit allerley / auch ſchlechten Leuten / ſondern meiſtens mit Hertzogen / Graven / Freyen / Edlen / Knechten / und Bürgern und freyen Leuten (die aller Eigenſchafft entladen / und allein den Fürſten dienſtpflichtig geweſen) geführet worden / Lehman *Chron. Spir. lib. 2. cap. 43.* Autor *Act. Lindav. pag. 590.* Seckendorff Chriſten-Statt *lib. 2. cap. 10.* Demnach aber mittler Zeit die Reichs-Städte / in beſtändiger Widerwärtigkeit und Feindſchafft mit dem Adel auff dem Land ſich befunden / haben Sie / in Mangel des Adels / ihre Bürger / Handwercker und

---

(*g*) De iisdem Libanius in *Paneg.* teſtatur, *quod vitam absque negotiis calamitatem maximam*, *belli verò tempora felicitatis apicem reputaverint.*

(*h*) Capitularia Francorum id, quod diximus, probantia, collegit Hertius, *Notit. Regni Franc. Cap. 6. §. 3.*

(*i*) In vita Conradi Salici, apud Piſtorium *Script. rer. Germ. Tom. un. pag. 428.*

(*k*) In Tractatu eruditiſſimo *de Pfalburg: Uſburg.: & Glevenburgeris Diſquiſit. III. §. 3.*

und Bauers-Volck ausgerüſtet / und wider der Teutſchen Brauch / den gemeinen Mann zum Krieg abgerichtet / dazu Sie die Zeit und Noth gedrungen. Lehmannus *Chron. Spir. Lib. V. Cap. 92.* (lege *cap. 112.*) allegirt deswegen aus denen Collmariſchen Annalibus / als ein beſonder denckwürdiges Werck / umbs Jahr Chriſti 1282. verzeichnet / dieſe Worte: multi ignobiles (*l*) facti milites in Argentina, davon gibt der Königshoven / in der Straßburgiſchen Chronick *Cap. 5. §. 104.* weitere Nachricht *&c.* Ut ut etiam Franci, diſciplinæ militaris ſtudioſiſſimi fuerint, (*m*) nullibi tamen legimus, eosdem ἀγαμίαν militibus ſuis unquam impoſuiſſe. In Capitularibus (*n*) equidem diſertè cautum: *Cum acceperit homo uxorem, non accedat ad bellum, nec ei ullæ injungantur neceſſitates publicæ; Sed vacabit absque culpâ* (*o*) *domui ſuæ, & ut uno anno lætetur cum uxore ſua.* Aſt quis non videt, ibidem de anni vacatione, quam ad militiam lectus, ob matrimonium noviter contractum habere debeat, unicè agi. Eosdem verò unà cum ſociis & amicis, non obſtante militiâ, liberam matrimonii contrahendi facultatem, majorum more, habuiſſe, alia quæ ſuperſunt teſtimonia ſatis evincunt. E contrario, in priſtina militiæ ratione, iſthæc mutatio medio ævo contigit, quod mulieribus aditus caſtrorum præcluſus fuerit, indeque militibus uxores, matres aut liberos ſecum ducere, amplius haud licuerit, prout

(*l*) Quam tamen Lehmanni interpretationem *Annal. Collmarienſium*, ex iis temperandam cenſemus, quæ Hertius *Diſſ. de feudo Nob. Sect. III. §. 6.* obſervavit.

(*m*) Conf. Hertius *Notit. Regni Franc. cap. 6. § 5.*

(*n*) Apud Baluzium *Tomo I. Capitular Lib. VI. §. 52.*

(*o*) Ut mulctam non incurreret, quæ *Heribannum* dicebatur, quamque luebat is, qui ad bellum venire contempſerat. Confer. Hert. *d. l. §. 3.*

Digitized by Google

prout è Legibus à Friderico I. renovatis, in priori Diſſertat. (p) ex Radevico pluribus demonſtratum.

THES. IV.

Quænam prohibitiones hodie intercedant?

Enimverò ex quo in mores hominesque tranſiit poſterior ætas, circa inſtituta militaria & hâc in parte plurima immutata eſſe, jam porrò probatum dabimus. Primò enim in hodiernum usque diem, compluribus ſtatutis & Legibus militaribus libertas connubiorum militibus in tantùm adempta, ut ſine conſenſu & permiſſione Imperantis, aut Præfecti alicujus bellici matrimonium contrahere haud poſſint, omniaque ſponſalia, iſthoc conſenſu neglecto, celebrata, declarentur nulla, quin & ſi miles de facto matrimonium contraxerit, aliæ quoque pœnæ leges iſtas migrantibus præſtitutæ ſint. Ex altera verò parte priſtina diſciplina militaris hactenus laxata eſt, ut, ſi vel maximè ſingulis militibus conjugatis, uxores in caſtra ſecum ducere haud liceat; (q) his ipſis tamen caſtrorum ingreſſus non abſolutè interdictus ſit. (r) Unde & hodie uxores militum in hoſtico conſtitutas, jure privilegiato teſtari poſſe, complures JCti non temere affirmant. (ſ)

 THES.

(p) *Pag. 25.*

(q) Ità Legibus caſtrenſibus, in Comitiis Norimberg. ann. 1431. latis, cautum fuit: Es ſoll auch keine Frau oder Spieler &c. mitziehen; & ut caſtra ſervarentur caſta: Soll niemand keine gemeine Fraue in den Heeren haben / und wer das thut / den ſoll mann hinnen; apud Dattium *de Pace Publ. Lib. I. cap. 23.* Add. *Maximil. II.* Reuter-Beſtall. *A. 1570. art. 43. & 68.*

(r) Id quod præter obſidionem Bredanam, *in priori Diſſertat. pag. 26.* allegatam, innumera alia, ævi noſtri exempla confirmant.

(ſ) Vid. Harpprechti, *Diſſ. prior de teſtam. pagani in hoſtico conſ. §. 39. & ſeq.* ubi reſolutis quæ obſtare videbantur, id quod diximus, præjudicio confirmat. Add. Lauterb. *Colleg. theor. pract. ſub tit. ff. de teſtam. milit. §. 10.*

THES. V.

Iſthæc inſtitutorũ varietas unde ſit? tum & quid utilius?

Quod autem inter militaria inſtituta unius ejusdemque Gentis tanta diverſitas deprehenditur, id illis mirum haud videbitur, qui non ignorant, regulas Prudentiæ Civilis pro temporum & circumſtantiarum diverſitate, ipſâque hominum indole, inſigniter variare. Quodſi etiam pauliſper hîc ſubſiſtere, & quid melius? quid utilius? expendere velimus, inſtituta moderna prudentiæ bellicæ apprimè convenire, nullo negotio deprehendemus. Primò enim inſtitutum illud, quô militibus hodie, niſi Præfectus ſpecialiter id permiſerit, matrimonium contrahere prohibitum, eædem illæ rationes commendant, quæ pro cœlibatu militiæ Rom. in priori Diſſertat. adductæ fuêre, quæque ſalutem & ſecuritatem publicam quam maximè reſpiciunt. Accedunt & alia momenta tam publica quàm privata, quæ Legibus Caſtrenſibus Boruſſicis §. *ſequ. allegatis*, his verbis exprimuntur: Daß dadurch (promiſcuâ ſcil. matrimonium contrahendi licentiâ) die Regimenter mit unnöthigem Troſſ und Koſten beſchweret werden. Item daß durch dergleichen ohnzuläſſige / eigenmächtige / und irregulire Heurathen / viele deſordres und inconvenientien zu erfolgen pflegen / denen Eltern und Familien aber offters Tort und Schimpff zugefüget wird / ꝛc. Viciſſim, quando uxoribus militum caſtrorum aditus non omninò hodie præcluſus, illius intuitu, ferè omnes illæ rationes uſu-veniunt, quas occaſione ſimilis inſtituti veterum Germanorum adduxit Conringius (*t*) & prout ibidem certis in caſibus hanc licentiam rejicit, v. gr. ſi quando annonæ caritas intenſa fuerit, indeque minori commeatû exercitui opus ſit, ità medio ævo, ut ſupra vidimus haud

(*t*) *d. Diſſertat. de Rep. antiqu. veter Germ. §. 32.* Add. Herm. Hugo *in Deſcript. Obſidionis Bredanæ pag. 84.*

haud dubiè adfuerunt, & hodienum eſſe poſſunt graviſſimæ cauſæ, uxores militum caſtris arcendi.

THES. VI.

Inter alias LL. Militares, quibus circa matrimonia militum, id quod diximus, ſancitum, Boruſſicæ eminent, quarum ſumma exhibetur.

Quod autem milites, ſine ſpeciali aſſenſu Præfecti ſui matrimonium contrahere nequeant, de eo in Legibus Militaribus Germ. peculiares ſanctiones paſſim deprehenduntur. Inprimis verò Legibus Militaribus Boruſſicis id ipſum plenius definitum eſt. (*u*) Earum ſumma eò potiſſimùm redit: (1) Univerſæ militiæ conductæ (nam ad lectam provincialem militiam, hæc & quæ ſequuntur, non pertinent) certum Conſiſtorium Militare præſtituitur, coram quô cauſæ matrimoniales & aliæ Eccleſiaſticæ ventilandæ, de quo *ſequ.* §. *10.* dicemus. (2) Militibus gregariis & inferioribus præfectis militaribus interdicitur, ſinè conſenſu Superiorum ſponſalia contrahere, ſimulque matrimonii promiſſio, iſthóc conſenſu neglectô, facta, ipſo jure nulla declaratur, ſuperaddita transgreſſoribus pœnâ operis publici, à milite & ergaſtuli à muliere, per anni ſpatium ſubeunda. (4) Eadem ſanctio extenditur, etiamſi imprægnatio acceſſerit, vel promiſſio matrimonii juramento confirmata fuerit. (5) Quodſi matrimonium extra territorum conſummatum & benedictione ſacerdotali corroboratum fuerit, pœna extraordinaria, ſupra præſtituta duplicatur. (6) Eadem prohibitio ad officiales & quidem uſque ad Capitaneos incluſivè, extenditur, idque ſub pœna arbitraria & remotione. (*v*) His gemina in L L. Militaribus Haſſiacis, Lünebur-

(*u*) Eas junctim exhibet Stryckii *Uſus ff. Moderni contin. ſub tit. de re militari.* Dn. Ludovici in der Einleitung zum militar Proceſſ. *cap. 3.*

(*v*) Eamque extenſionem ab Auguſtiſſimo Boruſſiæ REGE, non ità pridem renovatam & auctam eſſe, relationibus hebdomad. nuper accepimus.

Lüneburgicis, Saxonicis & aliis ſtatuta leguntur, niſi quòd cauſæ militum matrimoniales ut plurimùm coram foro ordinario ventilari ſoleant, & intuitu Officialium diverſum alicubi ſervetur. Nonnullis in locis quoque, ad hoc, ut Præfecti conſenſus accedere poſſit, requiritur, ut ſperata militis uxor certam pecuniæ ſummam in bonis habeat.

THES. VII.

Ut & LL. Militar. Gallic. Ludovici XIV.

Idem in Regno Galliæ, Conſtitutionibus aliquot à Ludovico XIV. ut Legibus non minùs armatum, quam armis decoratum ſe præſtaret, ſancitum, quarum tenorem hîc inſeremus, idque Lectori non ingratum & ab inſtituto noſtro non alienum fore ſperamus. Exhibet eas *Codex Ludovicianus Militaris (w)* ſequentibus verbis: Artic. I. *Sa Majeſté ordonne, veut & entend, que tout Officier de ſes Troupes, tant d'Infanterie que de Cavallerie & Dragons, étant en Garniſon dans ſes Places, qui ſe mariera dans celle où il ſera en Garniſon, où à dix lieuës és environs, ſans le conſentement de l'Inſpecteur General, dans le Département duquel, il ſera, ſoit caſſé & privé de ſa charge.* Artic. II. *Defend tres expreſſement ſa Majeſté à tous Prêtres & Curez de l'etenduë des Gouvernemens de ſes Places, de marier les Officiers de ſes dites Troupes, que du conſentement du dit Inſpecteur General, ſigné en bonne forme, à peine d'être punis, comme fauteurs & Complices du crime de rapt.* Artic. III. *Ordonne Sa Majeſte, que les Cavaliers, Dragons, Sergens & Soldats de ſes Troupes, qui ſe marieront à l'avenir, ſeront dechûs de leur anciennetté dans les Compagnies, dont ils ſont, & ne pourront plus avoir de preferençe pour leur Congés, que ſur leur Camerades, qui y ſeront*

(w) *Code Militaire des Reglements & Ordonnançes de Louis XIV. Lib. XI. Tit. 2.* Sub rubro: *Des Mariages des Officiers, Sergens, Soldats &c.*

Digitized by Google

ſeront entrez depuis leur Mariage, & que ceux, qui ne ſe ſont, ou ſeront engagez, que pour un temps limité, & qui pendant le dit temps viendront à ſe Marier, ne pourront plus compter leur Engagement que du jour de leur Mariage; & ſeront obligez de ſervir dans les Compagnies, ou ils ſe trouveront tout le temps pour lequel ils y ſeront entrez, ſans que l' on ait égard à celuy qui ſe ſera paſſé avant qu' ils ſe ſoient Mariez. Artic. IV. *Sa Majeſté défend tres-expreſſement aux Aumoniers ſervans à la ſuite des Regimens de celebrer aucun Mariage des Cavaliers & Soldats d' iceux avec les Filles ou Femmes domiciliées dans les Villes & Places ou ils ſeront en garniſon, ou és environs d' icelles, pour quelque cauſe & occaſion que ce puiſſe être, à peine aus dits Aumôniers d' être punis comme fauteurs & complices du crime de Rapt, ſuivant les Ordonnances: Veut ſa Majeſté, que les Colonels desdits Regimens, & en leur abſence ceux qui les commandent, faſſent arrêter lesdits Aumoniers ſur les premiers avis qu' ils auront des contraventions au contenu du preſent Article: & qu' ils les faſſent mettre és mains des Juges ordinaires, pour leur être le procés fait & parfait, ſuivant ce qui eſt en cela de la volonté de ſa Majeſté.*

THES. VIII.

Quodſi verò iſthoc diſciplinæ militaris inſtitutum, quô libertas connubiorum hodienum reſtricta, ut *præced.* §. *V.* ad regulas prudentiæ, ità nunc porrò ad normam juſtitiæ exigamus, id ipſum nihil injuſti continere, facilè apparebit. Hîc autem primò ſupponimus (quod LL. ſupra allegatæ diſertè etiam loquuntur) matrimonium ejusve libertatem non abſolutè prohiberi, ſed tantùm reſtringi, dum militibus neceſſitas imponitur conſenſum Præfecti ſui exquirendi, hujusque dijudicationi permittitur, an juſtæ ſubſint *Inſtitutū hocce regulis juſtitiæ non adverſari, evincitur.*

 cauſæ

cauſæ, an militis conditio, an publicæ ſalutis ratio in præſens ferant, ut uxorem ſibi jungere, ipſi permittendum ſit? Quemadmodum etiam militiam conductam regulariter volentes ſubeunt, aut certè uſque ad definitum tempus operas ſuas Imperanti tantùm addicunt; ità facilè liquet, ſi vel maximè aliâs Chriſtianus, & miles, quâ talis, in aliquo tertio conveniant, attamen inſtitutum hocce à cœlibatu, Clericis, Jure Canonico injuncto, diverſiſſimum eſſe, atque adeò à diverſis ad ſeparata, non valere conſequentiam, (x) nec illi obſtare, quæ huic adverſantur. Per conſequens nec illud in contrarium quidquam efficiet, quòd Noſtrates cœlibatum, ſed caſtum, ſuis laudibus non deſtituentes (y) eundem tamen non ſatis idoneum voti objectum, nec ſemper in poteſtate hominis poſitum eſſe, atque adeò eos, qui ſolenni voto ad perpetuum cœlibatum ſe adſtringunt, non conſideratè agere, defendant

(x) Præſertim cùm miles conjugatus, hoc ipſo exercitui gravis, & ad expeditiones pro ſalute publica ſuſcipiendas inidoneus reddi queat. Caſtum verò matrimonium, cultum Divinum non impediat, quin potius promoveat. Ut adeò fruſtra inde argumentetur & conſequentiam nectat Gonzalez Tellez *ad cap. I. X. de clericis conjug. num. 8.* Ex hactenus dictis etiam facilè conſtabit, quouſque admitti poſſint verba Iſidori Clarii, Epiſcopi Fuligno-Umbrii, quando *in annotatis* (Bibliis Criticis inſertis) *ad 1. Timoth. 4.* ℣ *3.* ait: *aliud eſt prohibere, ac damnare nuptias, aliud non admittere, ad ſacra, vel in religionis contubernium, eos, qui conjugio ſunt addicti. Nam ſi prohiberet Imperator, eos militare, quicunque artem aliquam profiterentur, ſi qui militia ſtudio artem quampiam deſererent, non continuò prohibere Imperator artem illam diceretur.*

(y) Egregiè hoc adſtruxit Baile *Diction. Critique Tom. II. Rubr. Farel. Lit. I.* ſub marginali ſummario: *pourquoi les Miniſtres au commençement de la Reformation, inſiſterent, ſur la neceſſité du mariage.*

Digitized by Google

dant (z) Neque enim milites noſtri perpetuum cœlibatum vovent, & conſcientiæ uniuscujusque militiam ſubeuntis, relinquitur, an eâ durante, & quamdiu diſpenſationem non obtinuit, caſtum cœlibatum agere valeat. Illud verò ultrò largimur, in diſpenſatione & petenda, & largienda, ut aliarum cauſarum, ità vel maximè conſcientiæ rationem meritò habendam eſſe. Illud levius eſt, quod objici poſſet, Deum, mediante matrimonio, genus humanum ad ſuum finem propagari, & velut immortale reddi, decreviſſe, indeque reſultantem obligationem, ut univerſo generi humano, itâ ſingulis etiam hominibus impoſitam eſſe. Etenim obligatio iſta, cum reliquis J. N. præceptis affirmativis, commodam requirit occaſionem, quam ſola ætas, & facultas naturalis certè non abſolvunt. Imò cum præter obligationem iſtam generalem & alii reſpectus intuitu ſocietatum, in quibus homo vivit, concurrere poſſint, ipſa naturalis ratio unicuique facilè inſinuat, cœlibatum non tantum, permiſſum, ſed & quandoque præceptum eſſe, ubi & quamdiu quis caſtâ cœlibe vitâ Civitatis commodum magìs promovere queat, præſertim, ſi nulla prolium penuria inde metuenda. Denique inter alia Sacræ Scripturæ loca (a) quæ objici poſſent, & locus 1. Timoth. IV. ℣. 3. huic inſtituto militari

(z) Conf. Ziegler, cum allegatis in Tr. *de Epiſcopis Lib. IV. cap, 4.* ubi *§. 16.* memorabilia adduxit loca Abbatis Panorm. & Polydori Virgilii, ex quibus apparet, quod jugum continentiæ coactæ ipſis jam intolerabile, viſum fuerit. Add. Baile *d. l. pag. m. 1220.* ubi ità diſſerit: *Le don de contenençe, n'eſt point une choſe, ſur quoi l' homme puiſſe compter. Gardez donc toujours votre liberté, poſſedez vôtre don, comme ne le poſſedant point &c.*

(a) Ità perperam ex benedictione Divinâ; *creſcite & multiplicamini*, Hebræorum Magiſtri inferunt, omnes maſculos obſtrictos eſſe, ut ante expletum vigeſimum ætatis annum matrimonium

militari non officit, quando enim ibidem doctrina τῶν κωλυόντων γαμεῖν damnatur, id ipſum eos tantùm attinet, qui matrimonium ejusque uſum, velut illicitum damnârunt, omnesque, qui in conjugio ſunt, aut certi alicujus ordinis homines, propterea à ſalute alienos dixerunt. Prout verò longè aliud eſt, jus matrimonii hominibus, aut certo hominum ſtatui in perpetuum denegare, aliud, exercitium illius juris, ſub certis conditionibus ad tempus reſtringere, ità inſtitutum militare, de quò hactenus locuti ſumus, Juri Divino adverſari nemo inde evincere poterit.

THES. IX.

An LL. humanis irrita reddi queant matrimonia?

Pariter & illud, hodierno militari inſtituto, non obſtat, quòd ex ſententia Concilii Tridentini, matrimonia LL. humanis irrita reddi nequeant; (*b*) Quemadmodum enim ibidem ſupponuntur, quæ non admittimus: ità, quòd Principi jus competat, pro utilitate Reip. requiſita juſtarum nuptiarum, & impedimenta matrimonii LL. ſuis, (modò diſpoſitioni Juris Divini non contrarientur) æquè determinandi, ac ſocietates alias moderandi, idoneis argumentis, ſi hujus loci foret, facilè evinci poſſet (c) Fruſtrà etiam opponitur præceptum illud: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, neque enim ſanctiſſimæ voluntati Divinæ convenire dici poteſt, conjunctio, contra LL. Civilium præſcriptum ſuſcepta, quas non tantùm propter timorem, ſed etiam propter conſcientiam ſervandas eſſe, DEUS ipſe præcepit. Quantò rectius Marcus Ant. de Dominis (*d*) docuit? *firmiſſime*

(*b*) Vid. Pallavicinus, *in Hiſtor. Concil Trident. Lib. XXII. cap. 4.* ubi quoque memorat, quantæ in hoc articulo tum temporis diſſenſiones fuerint.

(*c*) Conf. Stryck *de Diſſenſu ſponſalit. Sect. V. §. 40.* Thomaſius *ad Lancelotti Inſtitut. Jur. Can. p. 783. & ſequ.*

(*d*) *De Republica Eccleſ. Lib. V. cap XI, num. 5.*

Digitized by Google

ſimè ſemper veterem Eccleſiam tenuiſſe, matrimonium contra Leges Principum contractum, nullum eſſe, illudque exemplis ex Codice Theodoſiano & Juſtinianeo petitis, pluribus confirmavit.

THES. X.

Effectus ſponſaliorum aut matrimonii contra LL. militarium praecepta contract.

Quanquam itaque ut ſponſalia, ita & connubia militum, contra Legum praecepta inita, ipſo jure nulla declarari potuerint, (*e*) nihilo tamen ſecius Prudentiſſimi Legumlatores, mitiorem ſententiam ſtatuere, clementiſſimè voluerunt. Ità enim Legibus Boruſſicis ſupra allegatis, promiſſio matrimonii, ſi vel maximè juramento confirmata fuerit, aut accedente impraegnatione foemina *crimine donata ſit*, ipſo jure nulla quidem declarantur, ſuperadditâ quoque poenâ extraordinariâ per anni ſpatium ſubeundâ. Quodſi verò matrimonium accedente benedictione ſacerdotali, de facto conſummatum fuerit, iisdem Legibus cautum, ut transgreſſores duplicatâ poenâ, quam diximus, extraordinariâ afficiantur; Officialibus verò poena exauctorationis praeſtituta, matrimonio in ſua firmitate relicto. Idem in Regno Galliae obſervari, LL. ſupra relatae loquuntur. Quamvìs enim Franciscus de Roi (*f*) teſtetur; *matrimonium contra Legum Civilium praecepta initum, in Galliâ nullum & irritum pronunciari*, nihilo tamen ſecius in adductis Conſtitutionibus Ludovicianis, tantùm cautum, ut Officialis citra conſenſum Inſpectoris Generalis matrimonium contrahens exauctoratione, ſ. miſſione ignominioſâ puniatur: ipſi verò milites gregarii, matrimonium contrahentes, poe-

Digitized by Google

nam *regradationis* ſubeant, (*g*) eoque non ſine morſu honoris alieni, commilitonibus ſuis poſtponantur, qui uſque ad tempus matrimonii à reliquis contracti, militiæ nomen dediſſent. De cetero, quoad nullitatem hujusmodi matrimonii, nihil inibi diſpoſitum legitur.

THES. XI.

De pœnâ ob feſtinatam benedict. Sacerdotalem, præſtitutâ.

Quemadmodum etiam aliâs Miniſtris Eccleſiæ, circa benedictionem, quam vocant, ſacerdotalem (imò & proclamationem) impertiendam, ſummâ cautione opus, ut fines in Legibus & Ordinationibus Eccleſiaſticis (*h*) ſibi præſtitutos, accuratè obſervent, ſicque illicitos alios, tum & *meretricios amores nuptiis conglutinare*, feſtinantibus, ſuo aſſenſu haud accedant: ità intuitu LL. Militarium, quas memoravimus, non minus cuſtoditè ipſis incedendum eſt (*i*) ne pœnam, paſſim eô nomine præſtitutam incurrant. (*k*) Quo intuitu memorabile inprimis eſt, quod *d. LL. Gallicis*, conſtitutum ut Parochus, ſi tale quid admiſerit, velut conſcius & adjuva criminis raptûs, (*l*) à Præfecto militari cuſtodiæ man-

(*g*) De qua pœna, Romanis jam uſitata, Vid. è *Codice Theodoſ. l. 10. de re milit. l. 16. de Deſertor. l. 2. & ult. de Commeatu l. 2. de Curſu publico, ibique* Gothofr. *in paratitl. & Comment.*

(*h*) Conf. Dn. Böhmer, *de Jure Paroch. Sect. IV. Cap. III.* Heßiſche Kirchen-Ordnung *pag. 191. & 193.*

(*i*) Et hôc quoque intuitu in LL. Boruſſicis ſupra allegatis cautum: Daß die gemelte Verordnungen von der Cantzel publicirt werden ſolten.

(*k*) Vid. Böhmer. *d. l. §. 14.*

(*l*) Quæ pœna complici hujus criminis in Regno Galliæ præſtituta ſit, vide apud Papon. *Corp. Juris Franc pag. 170. ibique Bachov.* Add. Grœnwegen & Gothofred. *ad l. 54. C. de Epiſc. & Cler.*

diæ mancipetur, & Judici ordinario, ad pœnam ſubeundam, tradatur (*m*)

THES. XII.

Ad quod forum cauſæ militum matrim. pertineant?

Supereſt, ut de foro, ad quod cauſæ Militum matrimoniales pertinent, pro inſtituti ratione, paucis adhuc diſpiciamus. Quemadmodum verò aliunde conſtat, quòd de Jure Rom. cauſis matrimonialibus ſingulare forum non fuerit tributum, ità nulli dubitamus, quin ſub generali diſpoſitione, *Tit. Cod. de Magiſtr. Milit.* & *l. 6. C. de Jurisd.* ibi: *ut inter Militares viros, vel privatum actorem & reum militem, etiam civilium quæſtionum judicandi facultas Magiſteriæ poteſtati competat*; quin, inquam, ſub iiſdem LL. & cauſæ militum matrimoniales comprehendantur. Praxin verò Germaniæ, quod attinet, ex quo cum Jure Canonico invaluit, ut cauſæ matrimoniales, foro Eccleſiaſtico vindicatæ fuerint, inter Proteſtantes quoque cognitio ejusmodi cauſarum, ſive milites, ſive paganos concernant Conſiſtoriis Eccleſiaſticis ut plurimùm (*n*) delegata eſt: Eoque præjudicium pertinet quod Zieglerus in *Tr. de Juribus Majeſt.* (*o*) adduxit. LL. Borusſicis ſæpius allegatis hujus indolis cauſæ militares

---

(*m*) An & hæc diſpoſitio peculiarem Eccleſiarum Gallicarum libertatem reſpiciat, diſquirere nunc quidem non vacat. Audire interim juvabit Petr. de Marca, Archi-Epiſc. Pariſ. *de Concord. Sacerd. & Imperii Lib. II. cap. 7. §. 8.* ità diſſerentem: *quia Clerici non tantùm quâ Clerici, ſed etiam quà cives ſuis, ſpectantur in Republica, Legibus Principum*

Digitized by Google

militares foro mixto *(p)* adſcribuntur; ſimulque recentioribus Conſtitutionibus Regiis, apud Stryckium *d. l.* peculiare *Conſiſtorium caſtrenſe* conſtitutum, & ſequentibus verbis confirmatum fuit: So viel das bereits hiebevor beſtättigte Conſiſtorium Militare caſtrenſe betrifft / ſo ſoll daſſelbe aus folgenden Perſonen und membris beſtehen: nemlich zuforderſt aus dem General-Auditeur, welcher hierbey dirigirt / dann auch aus ein paar Staabs-Officiers / und verſtändigen Feld-Predigern / vom General-Staab / welche mit Vorwiſſen / und approbation des commandirenden Generals von jetzo gedachten General-Auditeur darzu zu ziehen / oder dafern bey dem General-Staab keine Prediger befindlich / ſo viel andere Feld-Prediger dazu zu ziehen. Et in aliâ Conſtitutione Regiâ, *d. l. pag. 970.* exhibita, cautum: Wann hinkünfftig bey denen Regimentern dergleichen Ehe-Sachen vorfallen / ſo wollen wir allergnädigſt / daß ſolche bey dem Regiment zwar in ſoweit in cognition gezogen werden ſollen / daß die contravenienten darüber zu examiniren / und die Sach biß zum Spruch zu inſtruiren; Nachgehends aber / es ſeye im Feld / Winter-Quartier oder Garniſonen / die Acta eingeſandt / und darüber von dem zeitigen General-Auditeur, bey dem Conſiſtorio Militari Caſtrenſi, biß zu Unſerer Genehmhaltung jedesmahl erkant / und geſprochen werden ſolle ꝛc.

THES.

(*p*) Foro mixto, eas cauſas adſcribi, de quibus cognoſcendi & ſtatuendi Jus habeat Judex tam laicus, quàm clericus, docet H. Vultejus *de Judiciis num 147.* Sed adde Böhmeri *Jus Eccleſ. Proteſt. Lib. II. Tit. 2. §. 33.*

THES. XIII.

Denique, ut finiamus, quemadmodum *allegatis* LL. promiſſio matrimonii, citrà conſenſum Superioris à milite facta, ipſo Jure nulla declaratur: ità tres ſequentes caſus ſeorſim adhuc conſiderabimus. Et primò quidem ſi miles ex promiſſione, durante militiâ factâ, conveniatur, dubium non eſt, quin tali caſu, *per LL. allegat.* promiſſio ipſa nullius efficaciæ ſit, etiamſi juramentum, aliaque firmamenta acceſſerint, aut fœmina ob inſecutam imprægnationem, *crimine dotata, virum emeruiſſe (q)* ſibi videatur. Quoad prius enim, ubi lex humana prohibitiva obſtat, fruſtrà ſanè quæritur de voluntate, priusquàm conſtet, de potentia; & ſi civiliter injuſta juramento confirmarentur, quælibet Imperantis prohibitio hâc ratione facilè eludi poſſet. Quoad poſterius verò omnes illæ rationes uſu-veniunt, quibus evincitur, rectè ſtatui poſſe, ut matrimonium ſinè conſenſu parentum contractum, ne quidem accedente copula carnali convalidetur. *(r)* Foret etiam, ſi aliter diceremus, in poteſtate militum, conſenſum Superiorum & eludendi & extorquendi; ut ut in caſu, ubi matrimonium de facto conſummatum, LLtoribus aliud placuerit,

Quemadmodum LL. Militares de promiſſione in militia facta, loquuntur.

THES. XIV.

Quidſi verò promiſſio, à pagano facta an nec ille, ſuſceptâ deinceps militiâ, efficaciter inde conveniri poterit? ſecun-

Ità coronidis loco, adhuc diſquiritur, quid de-

Digitized by Google

Pro ratione dubitandi hîc equidem allegari poſſet, quòd ſecundùm Canoniſtarum ſententiam voti ſolemnis emiſſio, & ſacri Ordinis ſuſceptio, matrimonium contrahendum impediat, & jam contractum dirimat: (ſ) inter milites autem ſpirituales, & ſeculares, plures intercedant convenientiæ. Enimverò, ut nunc de differentia voti ſolennis, à ſimplici non diſquiramus, (t) neç pluribus adſtruamus, votum matrimonii, ut prius, ità potentius eſſe, quàm ut alio voto deſtruatur, præſertim tali, quod unicè ex Jure Canon. robur ſuum accipit. (u) Sufficere nobis poterit, toties allegatas LL. Militares, de promiſſione matrimonii, durante militiâ factâ, diſertè loqui, ſicque per ſuſceptionem militiæ, jus alteri jam antea quæſitum, interverti aut eripi haud poſſe.

THES. XV.

Nec non quid de veteranis dicendum ſit?

Reſtat, ut de veteranis & militiâ miſſis, adhuc diſpiciamus, an illi ex promiſſione, durante militiâ factâ, conveniri, an verò ſub allegatione conſenſus Superiorum non adhibiti, de nullitate ſponſaliorum excipere poſſint? Prærerquam verò, quòd LL. Militares, in quibus hactenus dicta ſe fundant, validitatem ſponſaliorum, & conſummationem matrimonii militibus conductis, actu talibus, unicè denegant (quòd enim ad militiam provincialem lectam hæc non

---

(ſ) Vid. Lancelotti *Inſtitut. Jur. Canon. Lib. II. tit. 22. §. 4. ibique alleg. canon.*

(t) Vid. Bellarminus *de matrim. cap. 21. prop. 3.* Ziegler *ad Lancelot. d. l.*

(u) Conf. Rudolphus Hoſpinianus *de orig. Monach. Lib. 3. cap. 13. fol. 172.,* ubi contra ſententiam iſtam graviter diſſerit.

non pertineant, ſupra jam audivimus) & hoc uſu venit, quòd ſicut aliâs filio ex diſſenſu patris, contra votum connubiale, nulla competit exceptio(*v*) Ità ut idem de eo, qui è militia dimiſſus & rude donatus eſt dicamus, eædem rationes efficiunt. Foret quippe hujusmodi exceptio, non ſolùm de jure tertii ſed & cum allegatione propriæ turpitudinis, & nota improbitatis conjuncta, qualia alleganti non proficere expediti juris eſt.

TANTUM!

(*v*) Vid. Mevius *Part. VIII. Dec. 40. ibique allegat.* Cothman. *Vol. I. Reſp. 10. num. 132.*

COROLLARIA.

I.

Qui privilegia Militibus in Jure Rom. conceſſa, hodiernis Militibus indiſtinctè applicant, ſiniſtrè judicant. Vid. Bocerus in mantiſſa, Claud. Coteræo, de privil. milit. ſubjuncta.

II.

Quando in ſpecie l. 6} ff. de R.N. *ob* rationem poten-

Digitized by Google

III.

Statura, quam Leges Rom. in milite ſuo exigebant, erat quinque pedum & ſeſeunciarum uſualium; indeque explicandum ſequens Sympoſii *ænigma de podagra:* Bellipotens olim, ſævis metuendus in armis *Quinque pedes habui*, quos nunquam nemo negavit: Nunc mihi vix *duo* ſunt, inopem me copia facit.

IV.

Miles ut jure militari teſtari poſſit, teſtamenti factionem habere debet.

V.

Quòd teſtamentum militare tantùm intra annum, poſt miſſionem valeat, ad teſtamentum tempore peſtis conditum, perperam extenditur.

VI.

Vincens in poſſeſſorio, ſi poſteà in petitorio ſuccumbat, fructus non niſi à tempore litis in petitorio conteſtatæ, reſtituere tenetur.

DE *cœlibatu militum*
STUCKRADTE, quæ ſcripſiſti,
Sunt docta, rara, pulchra
Monimenta mentis arduæ,
Quæ gratulor æterna.

Metrum hoc gratulans depreperante calamo appoſuit

J. CASP. SANTOROCCUS,
Prof. & Pædagogearcha.

VA 1 1522493